

quorum fructuum in terram sparseris, primum quidem moritur & dissolvitur, & tum demum nascitur, & in culmum fructificantem assurgit. Arborum & quercuum natura secundum Domini imperium occulta quadam vi nobisq, invisibili statim temporibus fructus proferunt. Interdum passerulus aut alia avicula devorans semen mali, aut ficus aut alterius rei, avolat in locum aliquem editum, saxosum, & id in foveam aliquam per diversam corporis partem emit. Quid sit? semen illud subcrescit, & in arborem magnam evadit, quamvis devoratum per tantum calorem transferit. At haec omnia operatur Dei sapientia, quibus confirmare aggreditur, sibi non esse impossibile prestare ea, quae de universali resurrectione feruntur. Sin autem volueris mirabilis spectaculum cernere, quod ad id comparatum est, ut majore evidentiâ mortuorum Resurrectio comprobetur, jubeo te erigere vultum non solum ad terrestria, verum etiam ad caelestium resurrectionem. Lunam vide, quae singulis mensibus & perit & renascitur, nec non & alia considerato astra. Hisce Resurrectionis typis nondum acquiescens ab Ovidio audiat:

Stulte quid est somnus gelida nisi mortis imago?

III.

*Certitudi-
ne.*

Certitudinem futuræ Resurrectionis indignant Vaticinia, quibus tantum non omnes Scripturarum pagine implentur. Conf. *Job.* 19. 25, 26. *Esaj.* 26. 19. *Ezech.* 37. 5, 6. *Dan.* 12. 2, 3. *Job.* 5. 28, 29. *1. Cor.* 15. tot. *1. Thess.* 4. 16. Accedunt & Rationes ductæ partim à Bonitate Dei, promittentis in Fœdere Resurrectionem, *Matt.* 22. 31, 32. partim ab ejusdem Justitiâ, exigente, ut totus Homo, in animâ & corpore, vel benè factorum præmia, vel malè factorum pœnas reportet. Quò quoque pertinent variorum, è mortuis resuscitatorum, exempla. In V. T. suppeditatur exemplum suscitati filii tum viduæ Tzarpathanæ, *1. Reg.* 17. 22. tum Sunamitidis, *2. Reg.* 4. 35. Militis in sepulchrum Elisæi projecti, *2. Reg.* 13. 21. In N. T. filia Jairi, *Marc.* 5. 41, 42. Filii Nainitidis, *Luc.* 7. 14, 15. Lazari Bethaniensis, *Job.* 11. 43, 44. Sanctorum, qui mortuo Christo è monumentis egressi, *Matth.* 27. 52, 53. Tabithæ, *Act.* 9. 40, 41. Eutychi, *Act.* 20. 10. licet temerè quidam hunc non tam mortuum, quam animò relictum fuisse existiment. Cum primis verò hîc attendi meretur Christi, capitis ac primogeniti fratris nostri, Resurrectio, unde & nostram